CATECHESIS MINOR

IUVENTUTI
Religione Christianâ imbuendæ
CONSCRIPTA.

PSAL: 119. v. 9.
Quanám re purget adolescens suos mores? Exequendis tuis verbis.

RACOVIÆ,
Anno a CHRISTO nato,
1612.

PRÆFATIO.

PArentum quidem munus est, de victu cultuque corporis, & cæteris vitæ præsidiis, proli suæ prospicere: at multò præstabilius eos divinæ voluntatis notitiâ imbuere, & spirituali epulo ad beatam immortalemque vitam confirmare, atq; interiori habitu, qui coram Deo spectabilis est, exornare. Ad quam earum industriam promovendam, conscripta concisius hac Catechesi, viam iis commonstrandam & muniendam esse duximus, quâ parentes ad divinæ voluntatis perceptionem liberos perducerēt; liberi verò eidem insistentes, a prima pueritia Christi jugum ferre discerent, ut hoc officio rectè administrato, parentes quidem ob piam liberorum suorum institutionem, & nunc meritâ laude ab omnibus piis afficerentur, & in adventu Christi, coronam, quæ nunquam marcescat, consequerentur. Liberi

autem ex ejusmodi disciplina, pacatâ conscientiâ, quâ nullus thesaurus pretiosior esse potest, partâ, & in hac mortalitate confirmata ætate, & postea positis mortalitatis exuviis, latissimos proventus perciperent. Excipite igitur, vos Parentes Optimi, vosque liberi, ingenuam hanc nostram operam benignâ mente, atq; in eos usus convertite, in quos & suscepta a nobis & vobis exposita est. Præpotens DEUS, pro suo immenso favore utrisque pariter per Filium suum unigenitum clementer succurrat, & benedicat, ad nominis sui gloriam, vestramq; æternam salutem.

CATECHESIS MINOR Iuventuti Religione Christianâ imbuendæ conscripta.

Quid est Religio Christiana?

EST via a DEO patefacta vitam æternam consequendi.

Vbi ea est patefacta?

In sacris literis, præsertim Novi Testamenti.

Extantné aliæ sacræ literæ præter literas Novi Testamenti?

Exstant.

Quænam sunt?

Scripta Testamenti Veteris.

Quæ igitur est hæc via?

Est cognitio DEI & CHRISTI, ut ipse Christus testatur, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ioh. 17. 3.

Caput I.

De cognitione Dei salvificâ, quâ essentiam ejus spectat.

Quibusnám in rebus sita est Dei cognitio?

In eorum, quæ ad essentiam ejus pertinent, & voluntatis ipsius notitiâ.

Quænám ad essentiam ejus pertinent?

Ea sunt duplicia. Quædam ad salutem omninò necessaria sunt, quędam ad eam summè conferunt.

Quænám pertinentium ad essentiam, ad salutem prorsus necessaria sunt?

Hæc. Nosse, Deum existere. unum tantùm esse. Æternum. Perfectè justum. perfectè Sapientem, & perfectè Potentem esse.

Quid est scire, Deum existere?

Agnoscere, & firmiter credere, eum

eum in nos divinum imperium ex seipso habere.

Quid autem est scire, unum tantùm esse?

Agnoscere, & certò credere, ipsum solum tantùm esse, qui in nos ex seipso divinum imperium habeat.

Quod est hoc divinum imperium?

Est jus, atque potestas absoluta, de nobis suo arbitratu discernendi, ad cogitationes etiam, & corda nostra porrecta.

Quid est scire, Deum esse æternum?

Id videlicet. Eum principio & fine carere.

Quid est scire Deum esse summè justum?

Naturæ ejus insitum esse, æquitatem & justitiam tueri.

Quid est scire, Deum summè sapientem esse?

Eum non solùm omnia in genere intelligere, verùm etiam singula adeò exactè cognita habere, ut nihil ejùs notitiam fugere possit.

Quid est scire, Deum esse summè potentem?

Eum, quicquid velit, efficere posse.

Cur hæc omnia de Deo nosse, est omninò necessarium ad salutem?

Quia sine horum notitia, in hac salutis via ad extremum persistere non possemus.

Caput II.

De cognitione Dei, quâ ipsius personam spectat.

Quæ sunt de essentia Dei, ad salutem cognitu apprimè utilia?

Eorum præcipuum est, ut in es-

sentiâ Dei, unam tantùm personam esse sciamus.

Quænám est hæc una persona divina?

Est ille unus Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi.

Quomodo id probas?

Testimoniis Scripturæ evidentissimis, quæ sunt, *Hæc est vita æterna* Ioh:17. 3.
(ait Christus) *ut cognoscant te* (Pater) *illum solum verum Deum.* Et ad Corinthios Apostolus scribit: *Nobis unus Deus* (est) *ille Pater ex quo omnia.* 1 Cor:8. 6.
Et ad Ephesios, *Unus est Deus, & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus.* Ephes: 4. 6.

Caput III.

De cognitione Dei, quâ ipsius voluntatem spectat.

Ad voluntatem Dei, quænám spectant?

Horum quædam universis homini-

minibus, & eorum unicuique communia sunt, & fuerunt, quædam vitam æternam consequuturis propria.

Quæ sunt universis, & unicuiq; hominum communia?

Sunt tria: primum creatio cæli & terræ, & omnium, quæ in iis sunt. 1 Tim. 4 10. Deinde cura & providentia de singulis hominibus. Matth. 10. 30. Postremò remuneratio eorum, qui ipsum quærunt, Heb. 11. 6. hoc est, ei parent.

Quæ sunt vitam æternam consecuturis propria?

Ea, quæ DEUS per IESUM Christum nobis patefecit.

CAPUT IIII.

De cognitione CHRISTI; Ac primùm de Persona ipsius.

Doce me, quæ de Iesu Christo scitu necessaria sunt.

Hæc duplicia sunt, quædam ad per-

personam, quædam verò ad munus ipsius referuntur.

Quænám sunt ea, quæ ad personam ejus referuntur?

Id unicum, quòd naturâ sit verus homo, quemadmodum ea de re crebra Scripturæ sacræ testimonia extant; atque hæc è multis, *Vnus* 1. Tim. 2. 5. *mediator Dei, & hominum; homo Iesus Christus. Quoniam per hominem* 1 Cor. 15. 21. *mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Qualem Deus olim per Prophetas promiserat, & qualem etiam eum esse testatur fidei Symbolum; vulgò Apostolicum appellatum; quod nobiscum universi Christiani profitentur.

Ergo Dominus Iesus est purus homo?

Minimè. Etenim est conceptus e Spiritu sancto, natus ex Mariâ virgine, eoque ab ipsa conceptione, & ortu, Filius Dei est, ut habetur apud D. Lucam, ubi Angelus Mariam

Luc. 1. 35. ita alloquitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Annon Jesus habet etiam naturam divinam?

Nequaquam. Nam id non solùm sanæ rationi, verùm etiam divinis literis repugnat.

Caput V.

De cognitione Christi, quatenus munus ipsius Propheticum spectat.

In quo potissimùm munus Christi consistit?

In his tribus; quòd sit Propheta, Rex, & Sacerdos noster.

Ubi Propheta in Scripturis vocatur?

Extat eâ de re testimonium in Actis Apostolorum, quod Petrus a Mose repetit, qui ad Patres ita loquutus est: *Prophetam excitabit vobis Dominus Deus vester è fratribus vestris, quemadmodum me, eum audietis, secundùm omnia, quæ ad vos loquutus fuerit.* Act. 3. 22. Deut. 18. 18.

In quo verò consistit ipsius munus Propheticum?

In perfectâ divinę voluntatis patefactione, & confirmatione nobis per eum facta, quare etiam Mediator Novi Fœderis appellatus est.

Quæ verò est illa voluntas Dei, per Christum nobis perfectè patefacta?

Est illud fœdus novum, quod cum genere humano Christus Dei nomine pepigit.

Quid verò hoc Novo Fœdere continetur?

Duplex rerum genus: quorum unum Deum: alterum nos respicit.

Quod est, quod Deum respicit?

Sunt perfecta mandata, & perfecta Dei promissa.

Caput VI.

De Præceptis Christi, legi adjectis.

Quænám sunt perfecta mandata Dei per Christum patefacta?

Pars eorum continetur quibusdam præceptis Dei per Mosen traditis, unâ cum iis, quę sunt iis in Novo Fœdere addita: pars verò iis, quæ peculiariter ipse Christus præscripsit.

Quænám sunt priora?

Sunt ea, quæ Decalogo continentur.

Quæ igitur sunt præcepta Decalogi, & quæ cuiq; eorum Christus adjecit?

Primùm ordine præceptum est:

Non

Non habebis Deos alienos coram me. Exo. 20.

Quid huic præcepto Christus addidit?

Primum est, quòd nobis certam orandi formulam proposuit, ad quam nos, quemadmodum Deum orare oporteat, instituit.

Quæ verò isthæc est?

Ea quæ à D. Matthæo, & Luca descripta est. Matth. 6. 9. Luc. 11. 2.

Pater noster, qui es in cælis,
Sanctificetur nomen tuum:
Adveniat regnum tuum:
Fiat voluntas tua, sicut in cælo, (ita) & in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.
Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.
Quoniam tuum est regnum, & potentia & gloria in secula. Amen.

Quid præterea Dominus Iesus huic primo præcepto addidit?

Id videlicet, quòd Dominum IESUM pro DEO agnoſcere, id eſt, pro eo, qui in nos divinam poteſtatem obtinet, eumque divino cultu vanerari tenemur.

In quo is divinus cultus Christo debitus conſiſtit?

In eo, quòd, quemadmodum adoratione divinâ eum proſequi tenemur, ita in omnibus neceſſitatibus noſtris ejus opem implorare poſſumus.

Quid præterea ad divinum Christi cultum pertinet?

Celebratio ſacræ cœnæ ipſius, de quâ inferius audies.

Quod eſt ſecundum Præceptum?

Non facies tibi imaginem, nec ullam ſimilitudinem eorum, quæ in cælis ſurſum, quæ in terra deorſum, & quæ in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles.

Quid

Quid verò additum eſt huic Præcepto in Novo Fœdere?

Ut non tantùm imaginibus nullum honorem habeamus, verùm inſuper omni diligentia eas averſemur, ut habetur apud D. Iohannem: 1. Ioh. 5. 21.
Filioli fugite idola. Et apud D. Paul. 1 Cor. 10 14.
Propterea fratres dilecti, fugite ab Idololatriâ.

Quod eſt tertium Præceptum?

Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim impunè dimittet eum Dominus, qui nomen ejus aſſumpſerit in vanum.

Quid verò eſt, nomen Domini in vanum aſſumere?

Eſt Deum teſtem invocare in rebus falſis.

Quid huic Præcepto additum eſt ſub novo Fœdere.

Primò, quòd non ſolùm Deum, verùm etiam Dominũ Iesum Chriſtum teſtem nuncupare poſſimus,

 quum

quum ille quoque cordium, & renum scrutator sit. Deinde, quòd nobis non modò falsum, sed ne verum quidem jurare liceat, nisi gravissimis causis, atque adeò in gloriam Dei quoquomodò redundantibus, compulsis: idque non temerè, sed magno cum Dei metu, & circumspectione faciendum est.

Vbi ea de re scriptum est?

Mat. 5. 34. &c. Apud D. Matthæum, ubi Christus hunc in modum præcipit: *Audivistis dictum fuiße antiquis*, Non pejerabis; *sed reddes altißimo vota tua. Ego verò dico vobis.* Ne juretis *omninò, neq; per cœlum, quum sit Thronus Dei: neque per terram, cùm sit scabellum pedum ejus: neque per Hierosolymam, quum sit urbs magni Regis: neque per tuum ipsius caput jurabis; cùm nequeas unum pilum atrum vel album facere. Sermo autem vester sit. Ita, ita:* Non, non: *quod verò supra hæc est, a malo est.* Quod etiam Iacob: 5. 12. habetur.

Quod est quartum Præceptum?

Memento ut diem Sabbati sanctifices.

Quid verò de hoc præcepto nobis statuendum est?

Illud: Cum aliis ceremoniis sublatum esse.

Expone quintum Præceptum.

Honora Patrem tuum, & matrem tuam, ut prolongentur dies tui supra terram.

Quid porrò est honorare parentes?

In omnibus iis dicto audientem esse, quæ modò præceptis Dei non adversantur: & gratum animum iis pro beneficiis acceptis cumulatè præstare. Eph. 6. 1. 2. 1. Tim. 5 4.

Quod verò officium est Parentum?

Præcipuum hoc est, ut suos liberos in disciplinâ, & admonitione Dei educent.

Quid

Quid est autem eos educare in disciplina & admonitione Domini?

Est eos viis Domini, & conservationi divinorum præceptorum assuefacere, tum piis sermonibus, tùm monitis, tùm denique consuetudine & exemplo salutari, uti hac de re singulare præceptum DEI apud Mosen extat, ubi Deus mandat, ut assiduè manè & vesperi, non domi tantùm, verùm etiam in itinere de lege ipsius parentes cum liberis sermonem habeant. Deut.11. 19.

Quid insuper ad hoc Præceptum pertinet?

Subditorum & Magistratus, Uxorum, & Maritorum, Servorum, ac Dominorũ officia huc referri posse videntur.

Quod est subditorum officium?

Rom.13. 5. Vt magistratui pareant, non solùm propter metum, verùm etiam ob conscientiam, tributa, census, vesti-

vestigalia pendant, honore prosequantur, eum metuant.

Quod est officium Magistratus?

Vt eam, quam in cæteros habet, potestatem sibi a Deo ad defensionem bonorum, & terrorem facinorosorum permissam esse agnoscat. Rom.13. 5.

Quod est officium Vxorum erga Maritos?

Vt in omnibus maritis morigeræ sint, quemadmodum Ecclesia Christo, & eos metuant. Eph.5. 24, 33. 1.Pet.3. 6. Col. 3. 18.

Quod est officium Maritorum?

Vt uxores caras habeant, quemadmodum Christus caram habuit Ecclesiam, & quemadmodum sua ipsorum corpora, & ut eis tanquam vasi fragiliori honorem exhibeant, neque in eas sæviant. Ephes.5. 25, & 28. 1. Pet.3. 7. Col.3. 19.

Quod est officium servorum?

Vt Dominis obsecundent, cum metu Eph.6. 5, 6, 7, 8.

metu, & tremore, & sinceritate cordis tanquam Christo, non ad oculum servientes, velut hominibus placentes, verùm ut servi Christi, voluntatem Dei facientes ex animo, cum benevolentiâ servientes, tanquam Domino, & non hominibus, scientes, quod quisq; quicquid
1.Pet.2. boni fecerit, id reportaturus sit a
18. Domino, sive liber, sive servus: ut
Tit.2. subjecti sint Dominis cum omni
9, 10. 1.Tim.6. metu, non solùm bonis & æquis,
1, 2. verùm etiam iniquis, ut dominis
placeant, non contradicentes, non fraudantes, verùm omnem fidelitatem præstantes: ut quicunque servi sint sub jugo, Dominos suos omni honore dignos judicent, ne nomen DEI & doctrina blasphemetur, & qui Dominos habent fideles, ne eos despiciant, quòd fratres sint, verùm impensius serviant, quòd fideles sint, & dilecti ejusdem beneficii participes.

Quod

Quod verò officium est Dominorum?

Vt servis, quod justum, & æquum Eph.6.
est, tribuant, minas condonent, sci- 9. Col.4.
entes, quòd tam Dominorũ quàm 1.
servorum Dominus est in cælis, nec apud eum est acceptio personarum.

Quod est sextum mandatum?

Non occides.

Quid huic addidit Dominus IESUS?

Ne fratri irascamur, neque acer- Mat.5.
bitate verborum a vindictæ cupi- 22.
dine profectorum eũ offendamus, quòd Christus vocibus Raka & Fatue expressit. Quò etiam illa verba
pertinent: *Omnis amaritudo & ex-* Eph.4.
candescentia, & ira, & clamor, & 31.
maledicentia tollatur à vobis cum omni malitia.

Quid verò est dicere alicui Raka vel Fatue?

Est vindictæ studio ipsum nominare

nare hominem nihili aut vanum, aut rationis expertem.

Quid præterea huic præcepto adjecit Christus?

Prohibuit omne ultionis genus, non solùm privatum, verum etiam quod fit per Magistratum, adeò ut illatâ vel corpori, vel fortunis, vel existimationi nostræ ab aliquo jacturâ, quàm ut veterem vindicemus, ad novam potiùs perferẽdam, paratos nos esse oporteat. Quod
Mat.5. 39,40,41 Christus his verbis docuit: *Ego vobis dico, ne resistatis malo, verùm si quis percusserit dextram maxillam tuam, exhibe ei alteram; & qui voluerit tecum jure contendere, ac tunicam tollere, permitte ei & pallium, & qui te sollicitaverit ad miliare unum, abi cum eo duo.*

Quod est septimum mandatum?

Non mœchaberis.

Quid

Quid huic addidit Christus?

Vt omnem scortationem, & impuritatem, ac etiam omnem sermonem fœdum, stultum & jocosum vitemus.

Quod est octavum mandatum?

Non furtum facies.

Quid prohibetur hoc mandato?

Prohibetur omnis diminutio rerum ad proximi commodum spectantium, quæ fit, quoties vel ea, quæ habet subtrahimus, vel necessitatibus ejus, quando possumus, non succurrimus.

Quid huic præcepto Christus adjecit?

Ne simus avari. Luc.12. 15.

Quid verò est avarum esse?

Est plus habere velle, quàm ad tuendam vitam, tùm tuam, tùm tuorum opus sit. Heb.13. 15. 1.Tim. 6.11.

Quâ

Quâ verò id fit ratione?

Luc. 12, 15. Ea nimirum, dum homines, præter necessaria vitæ subsidia, plus aut quærunt, aut recondunt.

Quæ sunt illa necessaria vitæ præsentis subsidia?

1. Tim. 6. 11. Victus, & amictus, ac ea, sine quibus vita præsens conservari nequit.

Quomodo victu, & amictu nobis utendum est?

Ne videlicet, luxus ullus, aut corporea voluptas in nobis deprehendatur.

Qui verò luxus & corporea voluptas vitari potest?

Cum cibo & potu ad valetudinis rationem utemur: habitu verò, ne luxum, aut levitatem ullam arguat.

Quod verò in ciborũ & potus usu, luxum vocas?

Ingluviem, Crapulam, & Comessationes.

Quod est nonum Præceptum?

Non

Non dices falsum testimonium adversus proximum tuum.

Quid ad Præceptum hoc pertinet?

Mendacium quodvis, non solùm ab animo per sermonem fallendi cupido, verùm etiam a levitate, ortum; præterea, omnis detractio, calumnia, censura, condemnatio. Apocal. 21. 8. Eph. 4. 25. Rom. 1. 30. 1. Pet. 2. 1.

Quod est decimum Mandatum? Mat. 7. 1.

Non concupisces domum proximi tui: nec concupisces uxorem ejus, nec servum, nec ancillam, nec bovem, neque asinum, nec ullam rem ex iis, quæ ipsius sunt. Luc. 6. 37.

Quid est concupiscere rem proximi tui?

Est animum inducere, ut rem proximi tui, quæ tibi placeat, etiam iniquissimâ viâ consequaris.

Caput VII.

De Præceptis Christi peculiaribus, ad mores pertinentibus.

 Quæ

Quæ est pars Præceptorum Christi sigillatim ab eo tradita?

Hæc præcepta sunt duplicia: quędam enim mores, quædam ceremonias respiciunt.

Quæ verò respiciunt mores?

Mat. 16. 24. Hæc: Abnegatio suiipsius, crucis suæ portatio, Christi imitatio.

Quid verò est abnegatio suiipsius?

Est privatæ voluntatis ejuratio, & cupiditatum malarum, carnalium, & mundanarum abdicatio.

Quæ verò est isthæc crucis suæ portatio?

Est animi non solùm ad afflictiones quasvis, verùm etiam ad mortem vel acerbissimam Christi causa subeundam præparatio, ejusq; voluntaria exceptio ac læta perpessio.

Quæ porrò est Christi imitatio?

Est vitæ nostræ ad vitæ Christi regulam conformatio.

In quo ea consistit?

In exercitio earum virtutũ, quarum Christus in seipso, tanquam in vivo exemplari expressam nobis imaginem repræsentavit.

Quæ verò sunt hæ virtutes?

Præcipuæ sunt: Fiducia in Deo posita, Charitas consummata, Humilitas, in precibus assiduitas.

Quæ est hæc in Deo posita fiducia?

Est, quâ in promissis divinis acquiescimus, & voluntati ejus obtemperamus.

Quæ est charitas consummata?

Ea vel Deum vel proximum spectat.

Quæ est in Deum charitas consumata?

Est quâ Deum ex toto corde, ex totâ animâ & totis viribus supra omnia amamus.

Quæ charitas in proximum?

Ea vel in fratrem, vel in inimicum confertur.

In quo consummata charitas erga fratrem consistit?

In eo, ut animam pro eo profundamus, quod etiam Iesus mandatum suum novum appellat.

In quo verò consistit erga inimicum charitas?

Mat. 5. 44. Execrantibus nos tenemur benè precari, iis qui nos oderunt benignè facere, pro iis verò qui nos vexant, & insectantur, orare; si esuriant, cibus, si sitiant potus præbendus, & si necessitate compulsi a nobis mutuò sumere velint, non sunt repellendi. Luc. 6. 27, &c. Rom. 12. 20.

Quid est humilitas?

Est modica de seipso, in summa etiã amplitudine opinio, & promptitudo non detrectans vilissima ministeria proximis suis, abjectissimis licet, præstanda, quam in seipso luculenter expressit Christus, cùm servorum suorum, Apostolorum scilicet, pedes lavit. Phil. 2. 8, &c. Ioh. 13. 34. & 15. 12.

Quid est denique assiduitas in precibus?

Est animi nostri quàm creberrima ad Deum, quovis in loco elatio, eidem commendatio omnium necessitatum cùm fidelium, tùm omnium hominum, maximè regum, & eorum, qui præsunt, cùm imperio. Ad quas preces summè utilè est Iejunium. 1. Tim. 2. 1, 2.

Quid est Iejunium?

Iejunium, de quo hîc agitur, nihil aliud est, quàm ab omni cibo & potu ad tempus abstinentia.

Caput IIX.
De Cœna Domini.

Quæ sunt præcepta Christi ad ceremonias spectantia?

 Vnicum

Vnicum tantùm est, celebratio Cœnæ Domini.

Quid est cœna Domini?

Est Christi Domini institutum, quo fideles ipsius panem frangunt, & comedunt, & ex calice bibunt, mortis ipsius annunciandæ causa, quod permanere in Ecclesia in adventum ipsius oportet.

Quid verò est annũtiare mortem Domini?

Est publicè & religiosè Christo gratias agere, quòd is pro sua ingẽti, & inexplicabili erga nos charitate corpus suum torqueri, & quodãmodo frangi, & sanguinem fundi passus est; ac hoc ipsius beneficiũ laudibus extollere & celebrare.

Quis est verus & germanus sensus horum verborum, Hoc est corpus meum?

Simplex ac verus horum Christi verborum sensus est, ac si Christus dixisset,

dixisset, Hæc actio frangendi, & manducandi panis hujus, est commemoratio & repræsentatio quædam ejus, quod corpore meo futurum est. Et hæc actio fundendi, & bibendi vini hujus, commemoratio & repræsentatio quædam ejus est, quod sanguine meo fiet, vel (ut verba Pauli Apostoli simul explicemus) bibitio ex hoc calice, est commemoratio illius ingentis divinæ charitatis, nobis in Novo Fœdere exhibitæ, ac morte Christi confirmatæ.

1. Cor. 11. 25.

Caput IX.

De Baptismo aquæ.

Quid verò sentis de aquæ baptismo?

Id, quòd sit ritus exterior, quo homines vel à Iudæis, vel e gentibus ad religionem Christianam accedentes, manifestè profitebantur, se Christum pro suo Domino agnoscere.

Pertinentné ad eum ritum Infantes?

Minimè. Nam in scripturis nec mandatum nec exemplum ullum hac de re habemus. Adhæc. Res ipsa indicat, eos Christum pro Domino & Servatore suo agnoscere non posse.

Caput X.

De promissis Christi.

Quænám sunt illa perfecta promissa per Christum nobis revelata?

Maximum omnium, & quod omnia complectitur, est vita æterna: verùm etiam aliud superest ad priùs obtinendum apprimè conducibile.

Quod verò istud est?

Donum Spiritus sancti.

Quid est donum Spiritus sancti?

Donum Spiritus sancti nihil aliud

est, quàm firma & certa vitæ æter-
næ nobis promissæ spes, quam in
cordibus nostris sentiamus, quam- 2 Cor.1.
obrem eum scriptura arrham, aut 22 & 5.5. Eph.1.
etiã arrham hæreditatis nostræ vo- 14.
cat, atque in corda nostra immitti
testatur.

Estné Spiritus sanctus persona Deitatis? Act.5.32 1.Ioh.4. 13.

Minimè. Primùm enim de eo li- Eph.4. 7.
teræ sacræ testantur eum dari, & ex Ioan.3. 34.
eo dari, idque vel secundum men- Act.2.
suram, vel absque omni mensura; 17. & 38.
effundi, & ex eo effundi, homines 1.Cor. 12.13.
eo notari, eum augeri, in duplo da- Ephes.5. 18.
ri; in partes distribui, auferri, ex eo 2.Reg. 2.9.
auferri, interdum adesse, interdum Ioh.7. 39.
abesse, denique extingui, quæ & cæ- 1.Thes. 5.19.
tera similia scripturæ testimonia
personæ congruere non possunt. 1.Cor. 2.11.
Deinde idem patet, quòd Spiritus
Dei, in Deo est, ut spiritus hominis
in homine. Persona verò in perso-
na esse non potest. Postremo cùm

una tantùm ſit in deitate perſonâ, ut ſuperius demonſtratum eſt, Spiritus ſanctus perſona eſſe non poteſt, plures enim jam unâ perſonæ eſſent.

Quare ſpiritui ſancto actiones perſonarum propriæ atqúe adeò ipſi Deo competentes attribuuntur?

Quoniam virtus Dei eſt.

Caput XI.

De iis quibus voluntas Dei à Chriſto confirmata eſt.

Quomodo verò Chriſtus divinam voluntatem confirmavit?

Quod ea attinet, quæ ipſe pręſtitit, tria ſunt, quæ divinam voluntatem a Chriſto patefactam confirmãt: conſummata vitæ innocentia, miracula immẽſa, atq; innumera, & mors ipſius.

Caput. XII.

De Fide in Chriſtum.

Quidnám illud eſt, quod ex parte noſtri ad Novum Fœdus ſpectat?

Est fides in Dominum noſtrum Iesum Christum.

Quid eſt fides in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum?

Eſt fiducia per ipſum in Deo poſita, adeoque hæc fides hæc duo comprehendit. Vnum. Vt non ſolùm Deo, verumetiam Chriſto cõfidamus. Deinde, ut Deo obtemperemus, non in iis ſolùm, quæ in ſua lege præcepit, & per Chriſtum abrogata non ſunt, verumetiam in iis omnibus quæ Chriſtus legi addidit.

Quæ eſt iſthæc obedientia?

Ea, ut nullius peccati habitum contrahamus, omnium verò virtutum Chriſtianarum habitus comparemus, vel, ut non ſecundum carnem ambulemus, verùm ſpiritu o- Rom. 8. 13.

pera carnis mortificemus.

Caput XIII.
De libero hominis arbitrio.

Estné id situm in nostra potestate, ut Deo obtemperemus?

Est: etenim ita Deus hominem creavit, ut ei liberum arbitrium cõferret, præterea nemini eorum, quibus voluntatem suam exposuit, auxilium suum subtrahit.

Quodnám est auxilium istud divinum?

Divinum auxilium duplex est: Interius, & Exterius.

Quod verò exterius est?

Sunt promissa, & minæ, promissa tamen efficaciora sunt. Vnde etiam, quòd promissa sub Novo Fœdere multũ præstent promissis Veteris Fœderis, faciliùs est sub Novo, quàm sub Vetere Fœdere volũtatem Dei exequi.

Quod est auxilium Dei interius?

Id nimirum, cùm Deus in cordibus eorum, qui sibi obediunt, promissa sua obsignat.

Caput XIV.
De Prædestinatione.

Quid tu de divina Prædestinatione sentis?

Id videlicet, quòd Deus ante mundum conditum de hominib. ita decreverit, ut iis, qui in ipsum crederent, eique obedirent, dare vitam æternam: Eos verò, qui in eum credere, & ei parere recusarent, æterna damnatione plectere velit.

Quid verò est Dei electio?

Est quando Deus hominibus Evãgelium suum mittit, quod ipsum etiam vocationem scriptura appellat; illi verò hoc admittunt, & ex ipsius præscripto vitam exigunt.

Caput XV.
De Iustificatione.

Quid hac fide consequimur?

Iustificationem.

Quid verò est hæc Iustificatio?

Iustificatio est, cùm nos Deus pro justis reputat, peccata nobis remittens, & vitam æternam donans.

Caput XVI.

De officio Christi regio.

Quod est officium Regium Domini nostri Iesu Christi?

Hoc munus Christi Domini bifariam consideratur: tum regni ipsius, tum ejus populi, qui ipsi subest, respectu.

Quod est ipsius regnum?

Est, quòd Deus eum suscitatum a mortuis, & in cælos assumptum a dextris suis collocavit, potestate ei omni in cælis, & in terra datâ, & omnibus rebus ipsius pedibus, se excepto, subjectis, ut fideles suos gubernare, tueri, & æternùm servare possit.

Ubi

Ubi hæc scripta sunt?

Plena est horum Scriptura. Ea tamen de re præcipuè testatur Apostolus, *Deum supereminentem magnitudinem virtutis suæ erga nos reipsa ostendisse in Christo, dum eum a mortuis excitavit, & collocavit ad dextram suam in cælestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & potentiam, & dominatum, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, verumetiam in futuro, & omnia subjecisse ejus pedibus, eumque constituisse caput super omnia ipsi Ecclesiæ.* Et in Actis Apostolicis ait Petrus: *Deus patrum nostrorum excitavit Iesum, quem vos sustulistis suspensum in ligno: Hunc Deus Principem & Servatorem exaltavit, dextrâ suâ, ad dandam Israëli pœnitentiam, & remissionem peccatorum.*

Eph. 1. 20, 21, 22

Act. 5. 30, 31.

Ubi verò eâ de re testatur Scriptura Christum in cælos assumptum?

Testatur ea de re D. Lucas nomi-
Luc. 24. 50.51. natim hunc in modum: *Et eduxit eos foras, usq; in Bethaniam, & sublatis manibus benedixit eis. Et factum est cùm benediceret illis, disjunctus est, ab eis, & sursum ferebatur in*
Mar. 16. 19. *cælum.* Qua de re etiam apud Mar-
Act. 1. 9. cum, & in Actis Apostolicis aliquid scriptum extat.

At ubi Scriptura perhibet, Iesum ad dextram Dei consedisse, & omnia subjecta habere?

Eph. 1. 20, 21, 22. In eadem ad Ephesios Epistola, &
1. Cor. 15. 27. ad Corinthios. Quia & D. Petrus
1. Pet. 3. 22. ait, Christum esse ad dextram Dei profectum in cœlũ, Angelis & potestatibus & virtutib. ipsis subjectis.

Quid est sedere ad dextrã Dei?

Est vices Dei gerere, ac virtutem efficacem habere ad gubernandum & conservandum Dei populum, quæ in eo eminet, quòd Christus in corpora, & animas absolutam habeat potestatem, nec hominibus tantùm

tantùm, verùm etiam Angelis, & bonis & malis, & morti ac inferno dominetur.

Caput XVII.

De munere Christi Sacerdotali.

Ecquodnám est munus Sacerdotale Christi Domini?

Munus Christi Domini Sacerdotale in eo situm est, quòd quemadmodum ille potest nobis in omnibus nostris necessitatibus auxiliari, ita etiam auxiliari vult, & auxiliatur, atque hoc illius auxilium sacrificium appellatur.

Quis est fructus sacrificii Christi Dni?

Expiatio peccatorum nostrorum.

Quid porrò est peccatorum nostrorum expiatio?

Hęc duo continet. Primùm à pœnis, quę peccata tum temporaria, tum æterna comitantur: Deinde ab ipsis etiam peccatis, ne iis serviamus, liberatio.

Caput XVIII.

De populo Christi ac gubernatione ipsius.

Quis est populus Christi?

EST Ecclesia aut Cœtus Christianorum, isq; vel visibilis vel invisibilis.

Quis est Cœtus visibilis?

Est eorum hominum, qui doctrinam salutarem Christi tenent, & profitentur.

Quinā est ordo Ecclesiæ Christi?

Ordo is continet primùm officia earū personarum, quæ in cœtu sunt. Deinde diligentem inspectionem, quò hæc officia impleantur.

Quæ personæ ad Ecclesiam pertinent?

Earum aliæ sunt, quæ præsunt, aliæ quæ auscultant.

Quod est officium earum personarum, quæ præsunt?

1. Tim. 5. 17. Ex his quarundam est, aliis in sermone præire, ordinem in Ecclesia
Act. 5. 4. Domini omni ex parte tueri & pro
Act. 6. 2, 3. populo Dei orare: quorundam verò necessitatibus, Ecclesiæ, præsertim pauperum, providere.

Quales eos esse oportet, qui aliorum sunt Doctores?

Hac de re pluribus Paulus disserit, in Epistolis ad Timoth. & Titū. 1. Tim. 3. 1, 2, &c.
Quorum summa est, ut sint vitæ Tit: 1. 5, 6.
inculpatæ, & ad docendum apti.

Quod est auditorum officium?

Vt iis, qui præsunt, dicto audientes sint, in his omnibus quæ juxta verbum Dei præcipiunt, de quo in
Epistola ad Hebræos legimus: *Obedite ducibus vestris, & subjacete. Etenim illi vigilant pro animabus vestris, ut illi qui rationem reddituri* Heb: 13. 17.
sunt, ut cum gaudio id faciant, & non gementes, nam id vobis est inutile, ut Gal. 6. 6.
cum iis, qui docent communicent. Et gemino honore dignos censeant; 1. Tim. 5. 17.
ne adversus eos a quoquam accusationem, nisi duorum aut trium testium fide munitam admittant. 1. Thes. 5. 12, 13. 1. Tim. 5. 19.

Quæ hæc est inspectio, quâ eadem officia implentur?

Ea partim omnib. incumbit, partim iis tantùm, qui præsunt.

Quæ incumbit om[illegible]bus?

Hæc hoc modo desc[illegible]ta est: *Vi-*
Heb.3. *dete fratres ne in quoqu[illegible] vestrũ sit*
12, 13. *cor malũ incredulitatis, [illegible] discedat a*
Deo vivo. Verùm adho[illegible]nini alios
alii singulis diebus, usq[illegible]quò hodie
nominatur, ne quis ex vobis obdure-
Heb.10. *tur deceptione peccati.* Et infrà: *Ob-*
24, 25. *servemus alii alios in provocationem*
charitatis, & bonorũ operũ, non de-
serentes congregationẽ nostrûm ipso-
rũ, sicut mos est quibusdam, sed admo
nentes, & tantò magis, quantò magis
videritis appropinquantem diem. Et
1. Thes.5 Apostolus Paulus ait: *Admonete vos*
11. *mutuò, & ædificate alius alium.* Et in-
& 14. fra: *Rogamus vos fratres, adhorta-*
mini inordinatos, consolamini pusil-
lanimos, sustinete infirmos, longani-
mes estote erga omnes.

At verò cum ordinis hujus contẽ-
ptoribus quomodo agendum?

Duplici modo. Nam aut privatim
castigandi sunt, aut publicè.

Quo

[illegible]*cto privatim castigandi sunt?*

[illegible]odum Christus docuit. (Mat. 18.
[illegible]*verit in te frater tuus, vade, & cor-*
[illegible]*te, & ipsum solum: si nõ audiverit,*
[illegible] *adhuc unum aut duos, ut in ore du-*
[illegible] *vel trium, stet omne verbum: si au-*
[illegible]*t eos, dic Ecclesiæ.*

Quomodo publicè?

Aut [illegible]erbis & oratione, aut facto.

Quî verbis, & oratione?

Vt ab omnibus redarguatur publicè in
Christi Ecclesia. *Quî autem facto?*

Cùm aut societatem ipsius aversamur, &
cibum cũ eo capere recusamus, licèt eum ad-
huc pro inimico non ducamus, sed tanquã fra-
trem admoneamus. Aut cum eum ab Ecclesia
Christi segregamus, & pro alieno prorsus re-
putamus.

Vbi ea de re scriptum est?

De priore ratione ad Corinthios: (cap. 5. 11.)
Si quis frater cognominatus sit scortator, aut ava-
rus, aut idololatra, aut obtrectator, aut ebriosus,
aut raptor, ne cum eo manducetis. Et alibi idem
Apostolus ait: (2. Thes. 3. 6, 10, 14, 15.) *Denuncia-*
mus vobis fratres in nomine Dni nostri Iesu Chri-
sti, ut vos subducatis ab omni fratre inordinatè am
bulante, & non secundùm traditionem quam acce-
pistis a nobis. Et infra, *Etenim cùm eramus apud*
vos, hoc denunciamus vobis, ut qui laborare nollet,
non manducaret. Et infra, *Si quis non auscultat*
verbo nostro, per epistolam hunc notate, & ne com-
misceaini cum illo, ut pudefiat. Neq; pro inimico

ducite, sed admonete, ut fratrem.

At altera ratio ubi est expressa?

Itidem ad Corinthios.(cap.5.18.)ubi ait:*Tollite malum ex vobis ipsis.* Et apud Matthæum, (cap.18.17.) *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tãquam Ethnicus & Publicanus.*

Cur verò ejusmodi castigatio servatur in Christi Ecclesia?

Vt delinquẽs corrigatur, alii verò metuãt, nec a perversis depravẽtur, atq; ita offensio e cœtu Christi tollatur, nec verbum Dñi malè audiat, nevé ad eũ modũ gloria Domini prophanetur.

Quæ est illa inspectio iis, qui præsunt, propriè competens?

Non solùm illis omnibus officiis studiosius quàm aliusquispiam perfungi, sed etiã alios ad eorũ perfunctionẽ excitare, Ecclesiã inspicere, singulos observare, & tẽpestivè ac intempestivè instare, (1. Tim.4.2.)arguere, increpare, cum omni lenitate & doctrina debent: ejusmodi tamen circumspectio adhibenda est,(1.Tim,5.1.) ne seniorem increpent, verùm tanquam fratrẽ admoneant, juniores tanquam fratres, seniores mulieres ut matres, juniores ut sorores, cum omni castitate. *Quæ est Ecclesia invisibilis?*

Sunt ii, qui Christo confidunt, & obtemperant, proptereaq; ipsius corpus propriè existũt.

Cur verò eum hominũ cœtum invisibilem vocas?

Idcirco quòd ea quæ ipsum constituunt, hominũ oculis exposita non sunt, nempe Christi spiritus, & fides in ipsum.

FINIS.